Λίθος οὐράνιος. Ἀερόλιθος

C. Plinii Naturalis Historiae Lib. II ἐκδ. τῶν Παρισίων 1827. ὑπὸ C. Alexandre

LIX (LVIII). Celebrant Graeci Anaxagoram Clazomenium, Olympiadis(1) septuagesimae octavae secundo anno praedixisse e caelestium litterarum scientia, quibus diebus saxum(3) casurum esset e Sole(4). Idque factum interdiu in Thraciae parte ad Aegos(5) flumen. Qui lapis etiam nunc ostenditur, magnitudine vehis(6), colore adusto, comete quoque(7) illis noctibus flagrante. Quod si quis praedictum credat, simul fateatur necesse est, majoris miraculi divinitatem Anaxagorae fuisse, solvique rerum naturae intellectum, et confundi omnia, si aut ipse Sol lapis(8) esse aut unquam lapidem in eo fuisse credatur. Decidere tamen crebro, non erit dubium. In Abydi gymnasio ex ea causa colitur(9)

hodieque, modicus quidem, sed quem in medii terrorum casurum idem Anaxagoras praedixisse narratur. Colitur et Cassandriae, quae Potidaea vocitata est, ob id deducta. (10). Ego ipse vidi in Vocontiorum agro paulo ante delatum. (11).

Αἰγὸς ποταμοί. Αερόλιθος 467 π.Χ. ή 468 π.Χ. ;

(1) Olymp. septuagesimae octavae secundo anno.) Discrepat a Pario Chronici marmoris, quod in Marm. Oxon. recitatur, pag. 160. Epoch. 58. Rem enim is contigisse ait Archonte Athenis Theagenide: Ἀφ' οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε, καὶ Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἐτελεύτησε . . . ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεαγενίδου. Fuit autem Theagenides Archon Olymp. LXXVIII anno primo teste Dion. Halic. lib. IX. pag. 611 et Diodoro Siculo lib. XI. pag. 49. Hard.

(2) Praedixisse. Rem vero tam fortuitam, tamque inopinatam, praedici aut praenosci [illegible] arte posse, vix ullam habet similitudinem veri[illegible]. Saxum ingenti ~~ventorum montis impetu~~ vi, aut potius vulcanii montis impetu, in sublime raptum fuisse et decidisse minime mirum est. Id quoque saepe, et nostra aetate, contigit. At et saxum e sole decidisse, et casurum praedixisse Anaxagoram, fuit graecae vanitatis mendacium. De hoc saxo aliisque satis dixit Cl. Freret in Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions tom IV pag 421. Brot. — Vulcanicis montibus ejici has lapides alii docti etiam nunc credunt, sed lunaribus, non terrestribus. Alii planetas quosdam exiguos fingunt, a suo cursu, per obviam terrestris orbis attractionem deturbatos, huc praecipitare. Quidam immensas vaporum sive gazorum moles repentino casu condensari, ac

deinde suo pondere ad humum deferri putant. Quod jam de meteoris ignitis observavimus cap. 34. Ed. »

(3) Saxum. Plut. de placitis Philos. lib. II cap. 13, stellam saxeam et ignitam vocat; πυροειδῆ κατενεχθῆναι ἀστέρα πέτρινον. Diogenes autem apud Stobaeum, Eclog. Phys. lib. I pag. 53. Non unicum saxum, sed plures casuros lapides praedixisse ferunt Tzetzes mox laudandus, et Philostr. de vita Apollonii lib. I cap. 2. Hard.

4 E Sole. Laertius pariter e Sole cecidisse ait. E caelo. ἐξ οὐρανοῦ Tzetzes et [illegible]. Arist. Meteorol. lib. I cap. 7 ex aere: ὁ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς πεσὼν λίθος ἐκ τοῦ ἀέρος. H.

(5). Aegos flumen. Aegospotamon. sive ut Plinius vertit Aegos flumen Chersonesi Thraciae quondam urbem fuisse scito, non amnem. Stephanus pag. 36. Αἰγὸς ποταμός, πόλις ἐν Χερρονήσῳ. Τὸ ἐθνικόν, Αἰγοσποταμίτης. Fuit hoc oppidum clade Athensium classis nobile, inquit Mela lib. II cap. I. Et Tzetzes Chiliad. 2. v. 892 hoc ipsum referens, quod a Plinio in praesenti narratur: Ὁ δ' ἐγε Κλαζομένιος σοφὸς Ἀναξαγόρας ἐξ οὐρανοῦ προεῖπε λίθον κατενεχθῆναι. Ἐν ποταμοῖς τοῖς τῆς Αἰγὸς (Θρᾴκης δὲ τόπος τις) etc. De eo oppido diximus lib. IV cap. 18. Hard.

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

(6) Magnitudine vehis. Eo pondere eaque magnitudine, quae una vectura ferri possit. Hac voce rursum usus est Plinius lib. XVIII cap. 53. « Justum est vehes octodecim jugero tribui ». Usus et Columella saepius, quem citat Rob. Steph. A - - - - - - - - - -

(7) Comete quoque. Non cometes fuit, sed globus ardens, ac fortasse flammeum post se tractum, ut caudam, ducens: quales plerumque in his phaenomenis observari, et ab antiquis pro varia formarum similitudine clypeos, stellas, aut faces nominari jam novimus. Ed.

(8) Sol lapis. Hanc fuisse Anaxagorae mentem prodidit Tatianus orat. contra graecos, atque Harpocration, p. 23, verbo Ἀναξαγόρας, docuisse eum ait, Solem esse massam candentem, μύδρον διάπυρον. - - - - -

(9) Colitur. Ex his phaenomenis originem sumpsit populorum bene multorum superstitio, qui lapides coluisse dicuntur: ut Celtae, Scandinavi; ut Pessinuntii sub Cybeles, Paphii sub Veneris, Syri sub Heliogabali nomine, etc. Ed.

(10) Ob id deducta. Deductis eo sacri hujus lapidis causa colonis, exstructoque oppido, cui nomen a colore adusto lapidis, est inditum. Potidaea. Est enim ποτὶ Dorice πρὸς ad, apud; δαίω, uro. Hard. ..